Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

elemosinas uestras. ne de illis me nunc uos admonuisse arbitremini. Et preteritis iudicium et caritatem dei. qua elemosina possetis ab omni inquinamento interiore mundari ut uobis munda essent et corpora que lauatis. hoc est omnia et interiora scilicet et exteriora. sicut alibi legitur. mundate que intus sunt. et que foris sunt. munda erunt. Sed ne istas elemosinas que fiunt de fructibus terre respuisse uideretur. hec autem inquit oportuit facere. idem iudicium et caritatem dei. ut et nos ueraciter de nostra miseria iudicantes. et dei caritatem quam donauit ipse diligentes pie recteque uiuamus iustum iudicium eius confi … tentes quo miseri efecti sumus. De quo dicit apostolus. Iudicium quidem ex uno … in condempnationem. et magne caritati eius gratias agentes de qua idem ipse dicit … gratie predicator.

Commendat autem suam caritatem deus in nobis. quoniam cum adhuc … peccatores essemus christus pro nobis mortuus est. Hec autem oportuit facere et illa … non omittere. id est elemosinas fructuum terrenorum. Non ergo se fallant qui per elemosinas quaslibet largissimas fructuum suorum uel cuiusque pecunie inpunitatem se emere existimant in facinorum inmanitate ac flagitiorum nequitia permanendo. Ve uobis pharisseis qui diligitis primas cathedras in sinagogis et salutationes in foro. Ve uobis miseris ad quos pharisseorum uitia transierunt. qui breue et incertum uite nostre curriculum quo peccata humiliter plangere debueramus pro proprio reatu inuicem superbe certando peccatis amplius onerare non metuimus. Ve uobis quia estis ut monumenta que non apparent et homines ambulantes supra nesciunt.

Et hec superstitionem pharisseorum sententia redarguit qui foris speciem recte doctrine pretendunt. intus uero quid feditatis gerant occultant in star monumentorum que cum superficiem terre communis ostenderent. intus uermescentium sunt cadauerum plena fetore. De quibus psalmista cum diceret sepulchrum patens est. guttur eorum. mox quid dixisset aperit adiungens linguis suis dolose agebant. Respondens autem quidam ex legis peritis ait illi. magister. hec dicens etiam nobis contumeliam putant fieri et commemorata pena perfidorum se semper intelligit esse dampnandam. Vnde mihi meisque similibus unicum super est suffugium domino cum propheta supplicare. utinam dirigantur uie mee ad custodiendas iustificationes tuas. Tunc non confundar. dum respicio in omnia mandata tua.

At ille ait. Et uobis legis peritis ue. quia oneratis homines oneribus que portari non possunt et ipsi uno digito uestro non tangitis sarcinas. Non possunt onera legis portari eo modo quo isti legis periti hec imponebant hominibus. Vnde recte audiunt qd sarcinas eius uno digito non tangerent. hoc est ne in minimis quidem eam perficerent. quoniam se contra morem patrum sine fide et gratia ihesu christi et seruare et seruandam tradere presumebant. atque ideo iugum christi ~~et seruare~~ suaue et sarcinam eius leuem ubi requies est animarum procul abicere et exterminare temptabant. cum scriptum sit. iustus autem ex fide uiuit. et apostolus petrus. his qui credentes ex gentibus circumcidi docebant

I… contumeliam facis. Quam misera conscientia que audito dei uerbo sibi